



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio
Perfectionis Libri Dvo**

Crombecius, Johannes

Mogvntiæ, 1614

IX. Idem profectus & accretio suadetur testimoniis sanctorum Patrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

habent ipsi, ne habere conantur? quomodo ad ardua capessenda inflammare, si flamma careat? si igne? si calore? imo si intus gelidi sint? si nihil exterius, præter zeli simulacrum, affectatæque sanctitatis similitudinem appareat? Illis Iacob non benedixit, vt filio Ioseph, sed maledictionem impertiuit, dicens: *Ruben primogenitus meus, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui.* Fce. Iacob rat Ruben cubile patris: ij fcedant Dei cubile, quia animus, vbi Deus requiescit, vitis inquinant: exterius ornamenta virtutis ostentant, interius excludunt. Ascendunt vitiorum cubilia, virtutum vero culmine ruunt præcipites.

C A P. IX.

*Idem profectus & accretio suadetur
testimoniis sanctorum Pa-
trum.*

*Eum qui
non proficit
desicere.
Past. parte
3. c. 35.*

14. **I**llud namque cum sanctis Patribus statuendum videtur, *Eum qui non proficit, desicere: & qui non graditur, retrocedere.* Quod sapienter suo calculo confirmat D. Gregorius. *Admouendi sunt (ait) qui inchoata bona minime consummant, vt cauta circumspectione consideret, quia, dum proposita non perficiunt, etiam que fuerant cœpta conuellunt. Si enim quod videtur gerendum, sollicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. Addit appositam similitudinem. In hoc quippe mundo humana anima, quasi more nauis contra ictum fluminis*

fluminis condescendentis, vno in loco nequaquam stare permittitur; quia ad ima relabitur, nisi ad sūma conetur. Origenes vero in illa verba, Crescite & multiplicamini, longe grauius eos, qui non proficiūt, inculiat. Iam vero (ait) si anima coniūcta spiritui, atq; eius (vt ita dicam) coniugio copulata, declinet aliquādo ad corporeas voluptates, sensumq; suū in delectationibus carnis inclinet, & aliquando vero videatur obtemperare salutaribus monitis spiritus, aliquando vitus carnalibus cedat, talis anima, velut adulterio corporis maculata, neque crescere neque multiplicari legitime dicitur; quoniam filios quidem adulterorum imperfectos scriptura designat. Talis enim anima, qua spiritus coniunctione discreta, sensui se carnis & desiderijs corporalibus totam prostermit, velut auersa a Deo imprudenter audiet: Quia facies meretricis facta est tibi sine pudore affecta es ad omnes. Vis argumentum Origenis est, eos proficere non posse, qui perpetua inconstantia agitantur; nunc spirituales, nunc animales; nunc calidi, nunc frigidi; & à spiritu incipientes, in carnem degenerant; de quibus ita Deus queritur: *Vt inam frigidus esses aut calidus! sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Verum D. Bernardum audiamus magistra doctum experientia differentem. Quod si (ait) studere PERFECTIONI est esse perfectum; profecto, nalle proficere deficere est. Vbi ergo sunt qui dicere solent, Sufficit nobis, quia nolumus esse perfectiores quam patres nostri? O Monache non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi (inquis) viuere volo, & manere in quo perueni: neq; peior fieri parior, nec melior. Hoc

G 4. ergo

Hom. 1. in
Genesin.

Apoc. 3.

Epist. 253.
ad Abbatē
Guarinum
Alpensem.

Ergo vis, quod esse non potest: quid enim stat in hoc sa-
culo? & recte de homine specialiter dictum est. Fugit
Iob. 14. velut ymbra. Et paulo post: Quid prodest Christum
sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat
Sic currite, ut comprehendatis. Ibi tu, Christiane, si-
ge tui cursus profectusque metam, vbi Christus pe-
Phil 2. suit suam. Factus est obediens vsque ad mortem. Quan-
tumlibet ergo cucurreris, si vsque ad mortem non
perueneris, brauium non apprehendis. Brauium
Christus est. Quod si illo currente tu gradum sistis, non
Christo appropias, sed magis elongas; timendumque
Psal. 73. est tibi quod ait Dauid: Ecce, qui elongant se a te,
Domine, peribunt. Itaque si proficere, currere est: vbi
proficere, ibi currere desinis; vbi vero non curreris,
ibi & deficere incipis. Hinc plane colligitur, qui
nolle proficere, non nisi deficere est. Vidit scalam Ia-
cob, & in scala Angelos vbi nullus residens nullus sub-
sistens, apparuit, sed vel ascendere vel descendere vide-
bantur vniuersi: quatenus palam daretur intelligi,
inter profectum & defectum, in hoc statu mortali vi-
ta, nihil mediū inueniri; sed quomodo ipsum corpus no-
strū continuo crescere constat, aut decrefcere, sic neces-
se est spiritu aut proficere semper, aut deficere. Ea-
dē pœne repetit de scala, scribens ad Abbates
Epist. 91. Sueffione congregatos, & addit: Non habemus
hic manentem ciuitatem, nec futuram posidemus, sed
inquirimus. Aut ascendas necesse est, aut descendas: si
attentas stare, ruas necesse est. Minime, pro certo, est
bonus, qui melior esse non vult; & vbi incipis nolle
feri melior, ibi tum desinis esse bonus. Hæc Diuus
Bernardus.

15. Redeamus ergo ad præceptum illud
gene-

generale, quod viventibus omnibus initio mū-
di denunciatū est: *Crescite & multiplicamini*. Cre-
scite in vobis, multiplicamini in semine: vos i-
psos primum promouete, virtutum deinde ve-
strarum semina in aliis multiplicate. Et quidē de
profectu nostro in primis cogitandum nobis
est, vbi cuncta Dei mandato augeri aduerti-
mus. Frumenti namque sementerrā mandatur,
mortuum deinde in culmun assurgit; nec qui-
escit, donec spicam semenque profuderit. Ad
quod imitandum Gregorius nos hortatur, di-
cens, quod cum bona desideria concipimus,
semen in terram mittimus; cum vero operari re-
cte incipimus, herba sumus; cum autē ad profe-
ctum boni operis crescimus, ad spicam perue-
nimus; cumque in eiusdem operationis PERFE-
CTIONE solidamur, iam plenum frumentum
in spica proferimus. Dicit eodem loco, vir-
tutum gradus gradibus portæ Orientalis a-
dūbrari. *Quid gradus sunt huius portæ, (ait) nisi me-
rita virtutum? Nemo enim repente fit summus, sed in
bona conuersatione à minimis quisque inchoat, vt ad
maiora perueniat.* Denique Bernardus: Num-
quam iustus existimat se comprehendisse; numquam
dicit, *Satis est, sed semper esurit sicut que iustitiam: ita
vt, si semper viueret, semper, quantum in se esset, iu-
stior esse contenderes, semper de bono in melius profi-
cere totis viribus conaretur.* Non enim ad annum, aut
ad tempus, instar mercenarii, sed in æternum diuino se
mancipat famulatui. Hæc Diuus Bernardus.

16. Vehementer incitari deberemus ad pro-
fectum ex hoc capite: quod sicut agricolæ nihil

G 5 gratius

Gen. 1.
Accretio.
& multi-
plicatio
duplex.
1. In se.

Greg li 2.
in Ezech.
hom. 15.

Epist. dicta
ad Guari-
num.

gratius est, quam laborum suorum messem fructumque percipere; ita nihil gratius Deo præstari potest, quàm ut immensis eius laboribus, quos in promerenda nobis gratia, sustinuit, cooperamur, eiusque studia in nobis promoueamus. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio nostra. Quin etiam sanctificationem nostram cibum suum, quo reficitur, esse reputat. *Meus cibus est*, (inquit) *ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.*

1. Thessal.
4.

Ioan. 4.

Serm. 71. in
Cant.

Psal. 102.

Quod Bernardus, tractans hæc verba, *Qui pascitur inter lilia*, eleganter prosequitur. *At pascens (ait) ita puto nihilominus pascitur & ipse, & quidem escis quibus libenter reficitur, profectibus nostris. Cibus eius penitentia mea, & cibus eius salus mea, cibus eius ego ipse. An non cinerem tamquam panem manducat?*

Multipli-
catio du-
plex. 1. In
se.

Psal. 83.

In Psal. 137

Multipli-

17. Vult Dominus nos crescere, sed non tantum; vult etiam & multiplicari. Non enim est satis, nos esse Christianos, fidem in nobis esse, spem, si velis, & caritatem; vult, inquam, in omni virtutum genere augeri ac multiplicari. Quomodo augeat? *Beatus vir* (ait *Propheta*) *cuius est auxilium abste: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion. Quomodo multiplicari? D. Augustinus non minus copiose quam pie explicat hanc multiplicationem, exponens hæc verba Psalmistæ: In quacunque die inuocauero te, exaudi me, multiplicabis in anima mea virtutem: vel (ut ipse legit) cito exaudi me; multiplicabis me in anima mea virtute. Sic ergo ait:*

Mul-

Multis modis multiplicatio intelligi potest. Est multiplicatio va-
 platio terrena generationis, secundum primam generati-
 onis naturam benedictionem, quae audiuitur: Crescite & ^{1. Corpora-}
 multiplicamini, & implete terram, & dominamini ei. ^{rea.}
 Sic ne ille volebat multiplicari, qui dicebat, Cito ex-
 audi me? & ista multiplicatio fructuosa est, & non ve-
 nit nisi benedictione Domini. Iam quid dicam de aliis ^{2. Tempo-}
 multiplicationibus? Multiplicatus est ille auro, ille ar- ^{ralis.}
 gento, ille pecoribus, ille familia, ille possessionibus, ille
 his omnibus: cum ergo sint multae multiplicationes, qua
 multiplicationem querit, qui dicit, Cito exaudi me?
 ait enim, Multiplicabis me. Expectamus audire in qui- ^{3. Vitiosa}
 bus. Audi ergo: In anima mea. Non in carne mea, sed in ^{seu terre-}
 anima mea. Estne adhuc quod addatur, ne forte & ^{na.}
 multiplicatio in anima non continuo felicitatem si-
 gnificet? Etenim curis & furis homines in anima mul-
 tiplicantur: multiplicatus videtur in anima, in quo
 etiam multiplicata sunt vitia. Ille tantummodo aua-
 rus est, ille tantummodo superbus, ille tantummodo lu-
 xuriosus; iste & avarus, & superbus, & luxuriosus:
 multiplicatus est in anima sua, sed malo suo. Multipli-
 catio ista egestatis est, non vbertatis. Ergo quid tu, qui
 dixisti, Cito exaudi me, & te abstulisti ab omni cor-
 pore, & omni terrenare, ut diceres Deo, Multipli-
 cabis in anima mea? adhuc explana quid desideres.
 Multiplicabis me (inquit) in anima mea virtute. Ex-
 pressum votum, expressum desiderium. Si diceret, Mul-
 tiplicabis me; terrena nescio quae cogitares: addidit,
 In anima mea. Rursus, ne in anima vitia cogitares,
 addidit, Virtute. Haec Augustinus.

18. Dixit postremo Deus hominibus: Replete ^{Gen. 1.}
 terram, & subicite eam, & dominamini piscibus maris,
 & va-

& volatilibus cœli, & vniuersis animantibus que mouentur super terram. Subiiciendam in primis mandat terram corporis nostri, rationis imperio. Significant deinde animantium genera diuersa & ferocia passiones efferas & vitia indomita in nobis, quib. homines dominari præcipit, quod diserte Chrysofom. explicat. *Quemadmodum (inquit) in terra hac spatiosa & lata animantium alia mansuetiora, alia ferociora: ita in latitudine animæ nostræ cogitationes aliæ sunt magis pecuinæ & irrationales, aliæ ferociores & agrestiores: domandæ igitur ille sunt, & rationis imperio magistrandæ. Et quomodo quis cogitationem ferociorem compescet? Quid dicit homo? leonibus imperamus, & eorum animos mansuetos reddimus: & dubitas num mentis ferociam in mansuetudinem mutare possis? Quamuis natura bestiarum feroces sint, & præter naturam mansuetæ: contrari præter naturam feroc, natura autem mitis. Et qui bestis id quod natura eis inest auferre, & quod eorum natura aduersum inferre potes, id quod natura tibi præstitit conseruare non potes? Iam, quod his admirabilius est, leonum natura & alia difficultas inest. Rationis participes non sunt, & nihilominus sæpe videmus eos duci mansuetos per forum, multique ex officinis nummos vt mercedem artis & industria mansuetario numerant. Anima vero tuæ ratio concessa est, & Dei timor, & alia vnde quaque adminicula. Ne igitur pretextus & causationes adfer: potes enim, si vis mansuetus esse, & placidus, & æquus: & cæteris virtutum generibus pollere, vt deinceps docet Chrysofomus.*

I. Gen. 1.2 19 Refert Isidorus dominium istud ad ordinem

*Homilia
in Genes.
ibidem.*

nem hierarchicum, quo alij alijs subliciuntur. Et sane in republica Christiana diuersi generis homines sunt: quidam vt pisces maris peccata sua deslent, & pœnitentiam agunt: quidam instar pecorum & iumentorum colla perpetuo in terram demittunt, corpori alendo quærendisque diuitijs occupatissimi. Hi cornua habent, & nonnumquam in suos familiares sauiunt, & indomitis passionibus indulgent: arma denique comparant, quibus alijs interitum adferant. Sunt & volucres cœli homines spirituales, qui ab huius corporis colluue segregati, altius auolant, res omnes caducas sub se intuentur, & in cœlum, cœlorumque eternitatem, quam animo præcipiunt, infatigabiliter aspirant. Vult ergo Dominus hominem huiusmodi præesse, dominari, regere imperio, solari mœstos, excitare tardiores, pecorumque more viuentes. Vult enim & hos à terrenis sæcibus auocari, erigi, ac diuinis legibus conformari, auctore Psalmista: *Homines & iumenta saluabis, Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.* Sed & aues cœli regi debent, præsertim pulli clamantes, *Sub umbra alarum tuarum protege nos, ne à miluo rapiamur: addit enim Propheta, Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.*

20. Illud tam en exploratum est, eum qui hisce præesse volet, & multiplicare semen, crescere & ipsum omnium primum oportere: nam prima benedictio cadit in parentem. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron,*

*Accretio
& multiplicatio
secunda
erga alios.*

Psal. 35.

Psal. 16.

Psal. 35.

Proficere

oportere,

qui alijs

præsunt.

Psal. 132.

Aaron,

110 DE STUDIO PERFECT.

Aaron, & in oram vestimenti eius. Qui enim alios regunt, Deo debet esse ceteris cariores ac familiariores: vt facile ab eo obtineant, quod suis volunt impertiri. Ij vero sunt studiosi PERFECTI-
 NIS, qui ea quæ retro sunt obliuiscetes, ad anteriora se conuertunt, & insigniter proficiunt. Idem quoque aliis magno sunt incitamento: cumque maxima sit vis exemplorum: sola infir-
 virtutis opinione plus persuadent, quam alij ló-
 go verborum circuitu. Irati deinde numinis plagas eorum qui præsumunt est à subditis auertere, Deique conciliare beneuolentiam. Quod ceteris efficacius faciunt, qui PERFECTI-
 ONI
 dant operam, vtpote Deo gratiores. Denique, quidquid sit de aliis, cum prima salutis suæ cura ac ratio habenda sit. *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, anima vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? verum quis est hic? & laudabimus eum. Quæsiui, ait Ezechiel, de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam: & non inueni: & effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eos.*
 21. Certe de Isaac scripsit Moy'es quod benedixit ei Dominus, & locupletatus est: & ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est: habuit quoque possessiones ouium & armentorum, & familiæ plurimum. Egregia hæc figura est, adumbrans ordinem quem in Ecclesia Deus seruari voluit: vt qui ad regendas oues & armenta assumuntur, ad regendam nimirum CHRISTI familiam amplissimam, hi primum omnium benedi-

Phil. 3.

Matth. 16.

Ecc. 37.

Ezech. 22.

Gen. 26.

nedicti sint à Deo, gratiaque eius excellenti donati, atque Deo sint quam amantissimi. Tum eant proficientes & succrescentes de virtute in virtutem: efficiantur in gratiæ amplitudine & virtutum gloria magni vehementer: & censebuntur idonei qui ouium & armentorum habeant & familiæ plurimum. Nihilominus, quantumcumque profecerint, adhuc hic sistere non debent, necesse est cum Paulo dicant: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem si quo modo comprehendam in quo & comprehensus sum a CHRISTO IESU. Ad destinatum persequor ad brauium superna vocationis Dei. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte, cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* O vita beata, quæ ea alacritate currit ad pugnam, à pugna ad victoriam, vt pugnam denique ac victoriam cum eterno triumpho commutet! *Beati serui illi, quos, cum venerit Dominus, inuenerit ita facientes: amen dico vobis, quod suprema illa Maiestas præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si in secunda & in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, iterum beati sunt serui illi, quoniam super omnia bona sua constituet eos.*

Luc. 12. 1

Matt. 24.



CAP.